

QUÆSTIO MEDICA.

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis decimâ-septimâ Martii.

M. CLAUDIO QUARTIER, Doctore Medico, Præside.

An vinum ad tabem pulmonis vergentibus perniciosissimum?

I.

INIQUIS Ille conditionibus lucem accipit, quisquis corpus causarium, & è recto sanitatis tenore deflectens, à Naturâ sortitur: vitam quippè ducit acerbiorem, si hæc, quâ tunc vivitur, vita dici potest: Luctatur perpetuò cum hujusce vitæ malis; facilè rerum externarum occursu percellitur: hunc sæpè dolor, quasi prænuntians temporum aut cæli mutationes, fragilem & tenerum ferit, quibus bene natus, & meliore luto fictus minimè tangitur: ob levissimum victus errorem, ructibus & flatibus concutitur, cruditates plurimas cumulat obstructionum & putredinis parentes, quibus succedit per annorum seriem cohors febrium multiplicis generis, quæ corpus malè validum duriter exercent, pariuntque symptomata creberrimè causarum naturam induentia. His castigandis affectibus vitam tenetur degere desidiosam, quæ calorem nativum inertiorem, spiritus ad omnes sensus & naturæ opera segniores reddit, corpusque universum ignavius languidius & debilius factum, impar est ærumnis hisce sustinendis, quæ sic affectum circumveniunt, nisi subscribens Medici salutaribus institutis, ea omnia quæ tum in cibo tum in potu vehementer movere aut accendere spiritus & sanguinem, aut tabem inducere queunt, aut ullo alio modo nocitura declinet.

II.

ΦΘΙ'ΣΙΣ, seu tabida pulmonis affectio, adolescentibus æquè ac juvenibus supra cæteros familiarior est, quos eâ ætate licet felices clanculum adoritur: hac semel lue corpus inqui-

natum emacreſcere in dies conſpicitur uſque ad interitum, maximè cum ab hujus partis ulcere fovetur. Comitem ſemper habet febrem hecticam quavis aliâ febre majorem, quæ tacito veniens gradu, non cor dumtaxat, ſed & cæteras univerſi corporis partes hoſtiliter occupat: tangenti moleſtus calor iſte febrilis perſentitur, qui paulò poſt paſtum noctuque frequenter, pati ſolet exacerbationes, quibus curandis hactenus in uſum adhibitus inutiliter fuit peruvianus cortex: importuna tuſſis affligit ægrotantem, difficilis ſpiratio fatigat, ſitis crebrò urget, dejicitur appetentia, alimentum ſuſtentandis partibus corporis non ampliùs retentum, malè coctum & tandem vitiatum per ſe diffluit, perturbatis in ſuo officio viſceribus quæ apparant cibos: horum ſubſtantiæ ut & ſolidarum partium corporis fit diſſipatio: hæ ciborum benigno rore defraudatæ, junceæ redduntur, ſcabritie vigente curvantur ungues, cavantur oculi, eliditur quoque in faucibus ſpiritus, vox per intervalla aliquando diuturna extinguitur, anima fœtet, alvi fluxus ſuccedit, mali ſemper ominis: Demum ſummo pædore deformatum, & in eas adductum anguſtias, non hominem diceres, oſſa & pellis totus eſt, in quem adeo indignè & θηριωδῶς ſævit illa peſtis, cujus nomen, ideam, contagionem, eventum fatalem omnimodè implet, & pulmonis ſic affecti ſumma imbecillitas, mollities, jugis motus, textura rarior, auxiliorum aditus, omnia ad curationem difficillima reddunt, unde huic ſemel eâ labe infecto, vix ſpes ulla ſalutis relinquitur.

III.

PULMONIS ad vitam ſummam eſſe neceſſitatem, extra omnem eſt controverſiam, cùm idem ſit ſpirare ac vivere. Reſpiratio eſt actio merè naturalis, pulmo eſt aëris officina, acta ſimul agenſque viciſſim: ſubit pulmones aër a gravitate; à vi elaſticâ eos expandit, a fluiditate ſanguinis partes ſingulas commovet & exagitat, miſcetur cum ſanguine, eumque fluidiorem reddit, & circulationem ejuſdem non parum facilitat. Turgent pulmonis vaſa ſanguine copioſo, unde morbi omnes pulmonum curantur larga & liberali ſanguinis detractione, quos hujus defectu non ſanant hæmophobi. Qui proni ſunt ad pulmonis tabem, id habent nonnulli ab ingenito quodam partis hujus vitio quod à parentibus contraxerunt tabida ſtirpe ſatis: alii ob thoracis anguſtiam & depreſſionem, ſcapulaſque in modum alarum prominentes. Hinc pulmo contractior continuò fit obnoxius humorum decubitui, in quo frequentiori caſu per vaſorum ſeriem humo-

ris acris & exedentis, veſtigium tabidum imprimitur. Iſtorum in eo facilis fit tum apertio tum ruptio, orta ex curſu præcipiti, vomitu violento, improviſo caſu, ad quas cauſas accedens calidior halitus ex partibus infimis ſecundùm tubulorum ductus, caput impetens, viſcerum malè moratorum vigens intemperies, quam fovet inſolens victus ratio, calidiorum ciborum & potuum uſus, aëris vitium, qualem præſertim hauriunt ii qui in fodinis vivunt, & fornacibus addicuntur, occaſionem præbent huic affectioni tabidæ quaſi ex occulto & per inſidias advenienti. Sic autem conſtituti valetudinarii ſunt, febribus opportuni, hos ſereni vultus fœdatio turpat; languor comes eſt; In progrediendo tarditas, corporis univerſi gravitas, laſſitudo fere inexpugnabilis. Si quoque hominem videas, pallentem, tuſſientem, nihil penè expectorantem, anheloſum, plus ſolito gracileſcentem, facilè conjicies hoc corporis habitu, non obſcura φθίσεως rudimenta deſignari, quam citò adventantem auguraberis.

I V.

VINUM dulce in infantiâ, muſtum vulgò dictum, ſuccus eſt uvis expreſſus, fervendo ſimul fermenteſcendoque coctus atque defecatus; hominibus habetur in delitiis, ob divinas ejus dotes paſſim & ubique decantatas, ſi Turcarum gentem excipias, nullo in caſu ſtolidiorem, quam cùm ab illo pretioſo Naturæ dono ſe continet, & calidum opium uſurpat familiariter multo pernicioſius, graviter certè in hoc cæcutiens, nulloque rationis lumine ducta, quæ benè adhibita docet atque explanat, quid faciendum fugiendumque ſit, ut ne, dum palato ſervitur, aut valetudo nutet, aut malè mens ſuum faciat officium. Suavis ille liquor primas tenet inter potuum genera, quos ſalubritate omnes ſuperare perhibetur: pro nutrimento eſt, facilem efficit ciborum diſtributionem, & naturam per vias debitas ad ſupervacaneorum excretionem mirum in modum ſollicitat; ſpiritus diſſipatos reparat, cor exhilarat, vividum floridumque faciei colorem inducit, ſuoſque demum potores & potrices innumerabilibus beat bonis. Sed cave ne vincat vinum quod bibis? ejus noxas vites: ſæpe leviter blandiens, hoſtis infenſus vitæ tuæ parat inſidias; Solet nempe caput tentare, & mentem è ſolio regio deturbare, infinitaque alia parere mala, niſi in hujus potu ſervetur modus. Id juxta ſui craſim ſanguinem calidiorem acrioremque gignit, ſuo ingenio reſpondentem: calorem poſſidet à calore noſtro non parum alienum, blandus etenim eſt calor ille noſtras genuinus, benignus, ſervator,

vini calor igneus, vorax, populabundus, & ob eam vim promptè ſubit ac penetrat interiorum viſcerum receſſus abditiores, eaque ut incendiarius vaſtat, inflammat, exurit; & brevi ſummæ intemperiei iis inuſtæ author occultus & hoſpes infidus agnoſcitur.

V.

CAUTA eſt ritè Medentis meditatio, qui naturam ægrotantium explorat, ipſoſque quid amplectendum, quid vitandum amicis verbis commonefacit, ut ſe ab impendentibus vitæ ſuæ moleſtiis vindicent. Ad ea quippe conſilia attentiſſimi debent eſſe, qui proclives ſunt ad pulmonis tabem, ut cauſam ejus remotam licèt, haud quaquam promoveant. Ea igitur ſeriò vitent quæ ſanguinis ſcreatum ex rupta, aperta aut exeſa vena provocare poſſunt, vehementiores nempe animi contentiones, ejuſdemque immoderatos motus, valentiora quoque corporis exercitia, curſum citatiorem, venerem, ingluviem, crapulam. Vinum inter omnes potus abhorreant ut venenum, quod æſtum viſcerum, & ſanguinis fervorem auget, caput infirmum reddit, & catharris opportunum, tuſſiculam proritat, raucedinem parit, à quibus tabis initium derivari divini Senis oraculo pronuntiatum eſt; quibus ſi accedat vitioſa capitis ſtructura, ῥεῦμα perſeverans, tum ex eo fonte, tum ex malè conſtituto corpore contractum, infeſta hæc tabes tanquam peſſimus fructus à malè conſito ſeminario & fundi calamitate ſoboleſcet. Ne igitur ſuæ hi ſalutis proditores ſint, cùm iniquiſſimo potus genere pravam iſtam luem jamdiu ſilentem, & cineri doloſo ſuppoſitam exſuſcitant. An miſerè vivunt, quibus ex ea vini abſtinentia deeſt ea voluptas & ſuavitas, quæ in hujus hauſtu percipitur? An verò miſeriùs? qui ex hujus uſu graviſſima mala incurrunt, & occæcati cupiditate molles & voluptarii, in tabidum affectum ſe præcipitant, cujus quævis penè invaletudo comes eſt: ſic malo ſuo fato meritas infauſtæ voluptatis pœnas luunt, cui ſuccedit fatalis vitæ meta, quam non accepiſſe breviorem cenſebuntur, ſed feciſſe.

Ergo vinum ad tabem pulmonis vergentibus perniciosiſſimum.

Proponebat Pariſiis CLAUDIUS VERGNE, Montargianus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1701.

Apud Franciſcum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.